


VOTIVUS ALTER FRIDERICI II.
SICILIÆ ET NEAPOLIS REGIS: CUSUS, CUM REGNO
exutus Ludovico XII. Galliarum Regi se fortunasque
suas commisisset. Anno Chri-
sti 1501.

Vindex alter, acceptæ à Ferdinando injuriæ, cusus ab
eodem Rege, tempore eodem.



UDOVICUS XII. Galliarum Rex, uti à Germanorum motibus securus, Neapolitanum bellum commodè aggredi posset, Maximilianum sibi conciliare omni studio conatus est. Id, etsi difficilè videretur, per filium tamen ejus Philippum confieri posse spes erat. Philippus à pace non alienus inducias aliquot mensium à patre impetravit. His ita peractis, cum Ferdinando Hispano, qui & ipse regno eidem inhiaret, foedus facit: quo uterq; simul Fridericum bello aggressi, ditionem ejus omnem manu captam, ita partirentur: uti Gallo Neapolis, cum Aprutiorum provinciâ: Hispano Apulia & Calabria cederet: Pontifice, Provinciarum divisionem inter Reges factam comprobante. Fridericus itaque à duobus potentissimis Regibus oppugnatus, dedit se passim civitatibus extremâ necessitate